

Apud  
Trepanum,  
25 septembris.

Fridericus, Romanorum imperator, abbatii et conventui Sancti Stephani de Nemore iterato mandat ne homines casalium Mentabri, Gasparinae, Arunchi et Oliviani ultra quam consueverunt temporibus praedecessorum suorum et eidem monasterio de jure tenentur, de caetero indebite molestent.

(Edit. ap. MACCIUCCA, *Esame delle carte vamate di S. Stefano*, append. n° XXIII, et TROMBY, *Stor. del ord. Cartus.*, t. V, append. n° LXXVI; quod mandatum vide infra p. 215, in integro litis instrumento.)

Datum apud Trepanum, vicesimo quinto septembris, decime indictionis.

In urbe felici  
Panormi,  
octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem fratrum monasterii Sanctae Mariae de monte Virginis locum de Roccella in quo sita est grangia monasterii cum omnibus possessionibus quas nunc juste tenent et in futurum potuerint adipisci eis concedit et confirmat, reservato quod in praedicta Roccella custodiam fieri faciat, salvoque suo mandato et ordinatione.

(Ineditum in archivio Montis Virginis, ex originali in *Regest. VIII*, n° 71.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo tricesimo octavo et terciodecimo (*sic*) anno imperii domini nostri Federici glorioissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, et vigesimo quinto anno regni domini nostri Henrici regis Sicilie et Italie legitimi filii ejus, octavo intrantis mensis februarii, duodecime indictionis. Dum ego Guilielmus judex Avellini astante mecum notario Salerno ejusdem civitatis, presen-

tibus etiam domino Thoma de Avellino et magistro Michaele medico et Malfrido Sapio civibus Avellini testibus ad hoc specialiter rogatis et vocatis, essemus intus monasterium Sancti Benedicti de Avellino, frater Riccardus monachus et infirmarius monasterii Sancte Marie Montis Virginis mihi exposuit quod necessarium erat quoddam privilegium predicti monasterii alias transmittere pro suis negotiis exequendis. Unde ne fortuito casu contingere possit eum quoquo modo desperdi, quod privilegium erat domini nostri serenissimi imperatoris, me rogavit ut inspecta figura et per totum tenore ipsius una cum eodem notario supradictorum testimonio ejusdem tenorem per totum ad cautelam ipsius monasterii in scripturam publicam redigerem. Quod privilegium est per omnia taliter continens :

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per hoc presens scriptum notum fieri volumus universis quod cum monachi et fratres monasterii Sancte Marie de Monte Virginis nobis humiliter supplicassent ut Rocchellam in qua sita est ad honorem Salvatoris ecclesia Beate Marie de novo fundata que est grangia monasterii supradicti de gratia et benignitate nostra eidem monasterio concedere et confirmare nostra serenitas dignaretur, nos attendentes religionem ejusdem monasterii, obsequia etiam et orationes que ibidem domino jugiter offeruntur, locum ipsum de Rocchella in quo prefata sita est grangia et universos fratres ejusdem monasterii sub nostra protectione et defensione recipimus et quidquid in presentiarum juste tenet et quiete possidet vel in antea justo titulo prestante Domino poterit adipisci eidem monasterio Montis Virginis pro remedio animarum fidelium augstorum parentum nostrorum recolende memorie et pro salute nostra perpetua concedimus et in perpetuum confirmamus, reservato etiam quod, sicut solitum fuit tempore regis Guilielmi felicis recordationis, in predicta Rocchella custodiam fieri faciamus quandcumque fuerit opportunum; salvo quoque mandato et ordinatione nostra (1). Ad hujus itaque protectionis, conces-

---

(1) In praecedenti tamen privilegio de loco Roccellae hanc clausulam amoveri jusserset imperator. Vide supra p. 197.

sionis et confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum sibi fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense octobris, decime indictionis.

Sic itaque ipso privilegio inspecto et ejusdem perfecto tenore, considerans illud esse in sui plena figura nec cancellatum nec vitiatum nec in sui qualibet parte vituperatum, sed legitime conscriptum et firmatum, considerans etiam sigilli figuram quoniam veracissima erat et in ejus propria et debita figura, justas ejusdem infirmarii preces admittens ipsum privilegium in publicam scripturam per manus dicti notarii ego prefatus judex reddigi feci et illud declaravi mea subsignatione communitum. Et taliter Salernus publicus Avellini notarius rogatus interfui, scripsi et meo signo signavi. Ego qui supra Wilielmus judex; ego Thomasius miles testis sum; ego Michael testis sum; ego Malfridus rogatus interfui.

Apud  
Panorum,  
25 octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, Honorio papae scribit de confusione exercitus Christiani (scilicet de redditione Damiatae), nuntiatque se jam ad maturum subsidium accinctum nunc ad apparatum instantem invigilare.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1222, § V, e regest. Honor., lib. VI, epist. 81. — Coll. cum BOEHMERO, *Regest. imper.*, p. 119, n° 460.)

Sanctissimo in Christo patri Honorio, etc. Fredericus, etc. Tristis et tristitie nuncius, venerande pater, nobis rumor insonuit et cordi nostro gladium doloris affixit quia glorificavit Dominus in peccatis nostris vexillum hostium ut conculcaret exercitum Christi sui; et quis est jam in populo christiano qui ad talem non inhorreat confusus eventum, videns eum qui crucem persequitur triumphare de cruce? quasi non sit otiosum credere quod in plebe sua Christo displiceat cultus fidei dum vias ita dirigit perfidi-